

sanctiones in subsidium alimentorum uniuscujusque sacerdotis duntaxat pro regionum opportunitatibus præscripta colligant, missas vero celebrari curent alibi, ubi eleemosynæ, seu stipendia vel consuetudine, vel synodali lege pro singulis missis attributa sunt minoris pretii, quam illic, ubi darentur.

« § 2. Id quam absonum sit, atque alienum ab ipsa sive expressa, sive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt. Nec aliter existimandum est; in illa enim potius missas esse celebrandas quisque vult, ad quam religionis et pietatis stimulis ductus, eleemosynas confert, aut in qua quispiam, fortasse tumulatus est, quam in alia ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane, veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiæ suspitione, et vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subjacet, haud immune, in causa est, ut honorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit, graviter offensi, ab eleemosynis ad celebrandas missas amplius offerendis sese absteineant.

« § 3. Exsecrabilem hujusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices prædecessores nostri, de consilio tum congregationis S. R. E. Cardinalium universalis Inquisitionis contra hereticam pravitatem, tum congregationis Cardinalium concilii Tridentini interpretum, decretum voluerunt, nimirum a quolibet sacerdote stipendio, seu eleemosyna majoris pretii pro celebratione missæ a quocunque accepta, non posse alteri sacerdoti missam hujusmodi celebraturo stipendium, seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti missam celebranti, et consentienti se majoris pretii stipendium, seu eleemosynam accepisse indicasset.

« § 4. Eapropter vos, venerabiles fratres in apostolici ministerii, et sollicitudinis nostræ partem adscitos rogamus, et maxime in Domino hortamur, ut custodientes vigilias super gregibus vestris, enitami, ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim tanquam a radice mala omnia germinant; quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quæ conceptam apud omnes sacerdotales dignitatis, perfectionisque opinionem magis inficiat, evellatque. Avaritia opibus Deum posthabere, ac servire mammonæ docens, efficit, ut avari hereditatem non habeant in regno Christi, et Dei. Quod si hæc in laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coercenda, quid in ecclesiasticis viris, qui terrenis rebus nuntium miserunt, qui in sortem Domini vocati, qui Deo mancipati sunt? Quid, quod mancipati sunt? Quid, quod non per mundana lucra, sed per altaris ministerium tam sordide, et cum sanctissimarum legum contemptu, et cum sacerdotales characteris dedecore in avaritiam præcipiti animo rapiantur? Contendite igitur, vener-

fratres, quibus Christi ovium cura demandata est, non solum ut verbo et exemplo præeuntes, Christi sitis bonus odor in omni loco, unde populi vestigia vestra sequantur; verum etiam, ut ecclesiasticos primum, deinde laicos viros ab infectis vitiorum pasuis avertentes, per viam mandatorum Dei ad celeste ovile currere doceatis.

« § 5. Quoniam autem ita comparatum est, ut præsentis pœnæ metu salutaribus monitis facilius obtemperetur; per edictum in vestris diœcesibus proponendum affigendumque universis notum facite, quemcumque qui, eleemosynas seu stipendia majoris pretii pro missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel synodalia statuta exigunt, colligens, missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum, seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi pro missis celebrandis minoras stipendia, seu eleemosynas tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem, seu sæcularem, præter alias arbitrio vestro irrogandas pœnas, excommunicationis pœnam; clericum vero, sive quemcumque sacerdotem, pœnam suspensionis ipso facto incurrere, a quibus nullus per alium, quam per nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit. Fore autem in Domino confidimus, ut unusquisque memor conditionis suæ posthac bene consultum velit animæ suæ, nec tam salutares leges, censurasque ecclesiasticas parvipendat. Interea fraternitatibus vestris Apostolicam benedictionem, in populos etiam curæ vestræ commissos redundaturam, peramanter impertimur.

« § 6. Volumus autem, ut præsentium litterarum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 30 mensis Junii 1741, pontificatus nostri anno primo.

« D. cardinalis PASSIONEUS. »

(17. Indulta, quæ ab Apostolica Sede fuerunt concessa pro moderandis missarum oneribus non suffragari ad reducenda onera per contractum suscepta, resolvit Sac. Congreg. Conc. in *Maceraten. Oneris missarum*, 15 Nov. 1687, lib. LXXIII *Decretor.*, pag. 636.; in *Montis Politiani*, 4 Sept. 1717, lib. LXXVII *Decret.*, pag. 429; in *Romana reductionis oneris missarum*, 22 Martii 1732, et in *alia Romana*, 28 Febr. 1733, et in *alia Romana*, 18 Aprilis 1733; in *Faventina oneris missarum*, 27 Febr. 1735; in *Florentina applicationis missæ quotidianæ*, 24 Julii 1734, in *Nolana reductionis missarum*, 13 Martii 1739, ubi ad dubium, an sustineatur reductio missarum in casu, etc., respondit *negative, et amplius*: quia talis missarum reductio fieri solet, et concedi solum, quando agitur de

missarum onere per legatum, non autem per contractum suscepto.

(18. Advertendum est pro intelligentia verborum sacræ congregationis supra allati undecimi decreti de celebratione missarum, nempe: « Dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere, » quod modicum tempus prætendebatur posse extendi ad quos aut tres menses. Sed sacra Congr. Conc. 17 Julii 1655 sic expresse respondit: « Cum in declaratione undecimi impressa super decretis de celebratione missarum celebrandarum, permittatur receptio aliorum onerum missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possit omnibus satisfieri, hodie nonnulli superiores regulares pro conscientiarum, ut inquit, quiete, denuo quærant; an dictum modicum tempus celebrandi missas reputetur tempus duorum, vel trium mensium? » Sacra, etc., respondit, « modicum tempus intelligi infra mensem; » lib. XIX *Decret.*, pag. 497. Sic refert et tenet card. Lambertini., deinde Summus Pontifex Benedict. XIV, vol. I, in *Notificat.* et in *structione* 56, super *eleemosyna missæ, et retentione alicujus partis pro utensilibus*, § 14.

(19. Missarum reductioni locus non est, si universa hæreditas fuit gravata, nec hæredi prodest fundi assignatio, quam ille ultro fecerit, si progressu temporis, in pares oneri reddantur ejus proventus. Sacra Rom. Rota in *Romana annue præstationis*, 16 Januarii 1702, § 13, coram card. Caprara, et in *Romana supplementi et applicationis*, 11 Junii 1723, cor. patriarcha Aldrovando; et sac. Congr. Conc. in *Romana reductionis oneris missarum*, 18 Aprilis 1722, apud *Thesaurum resolutionum sac. Congr. Conc.*, tom. II, ubi adducuntur alia consimilia decreta, et prostant Venetiis apud Joannem Baptistam Recurti.

(20. Missarum reductio non conceditur, quoties pro earum celebratione non fuit assignatus certus fundus, sed gravati fuerunt hæredes certam pecuniariam summam solvere. Sacra congregat. Concil. in *Romana reductionis oneris missarum*, 22 Martii 1732, et in *alia Romana reductionis oneris missarum*, 28 Febr. 1733, apud d. *Thesaur. resolutionum sac. Congr. Concilii*, t. V et VI.

(21. Missarum reductioni non esse locum, si per contractum fuit eorum onus susceptum, sed agendum esse coram iudice ordinario, ut cognoscat num contractus ob læsionem et injustitiam sit rescindendus, vel ad æquitatem reducendus, pluries respondit sacra congregat. Concil. et signanter in *Bononiens.* 1 Martii 1687, confirmat. 27 April. ejusdem anni, in *Maceraten.* 15 Novembr. 1587; in *Assisien.* 23 Apr. 1701; in *Recanat.* 9 Junii 1701; in *Neapolitana* 27 Jan. 1703; in *Rom.* 19 Apr. 1704; in *Esina* 10 Junii 1606, apud Monacell., t. IV *Supplement. ad II tom.*, n. 466. Et speciatim agendo de indultis, quæ a Sede Apostolica fuerunt concessa variis locorum ordinariis, variisque superioribus regularibus pro moderandis missarum oneribus, nequaquam eis suffra-

FERRAR. V.

gari ad reducenda onera per contractum suscepta, pluries resolvit eadem sacra congregat. Concilii, et signanter in *Maceraten. oneris missarum*, 16 Novembris 1687; in *Montis Politiani* 3 Septembris 1716; in *Romana reductionis oneris missarum*, 22 Martii 1732, et in *alia Romana* 18 Aprilis 1733; in *Faventina oneris missarum*, 27 Febr. 1734; in *Florentina applicationis missæ quotidianæ*, 24 Julii 1734, in *Nolana reductionis missarum*, 14 Martii 1639, ubi ad dubium: « An sustineatur reductio missarum in casu, » etc., respondit, *Negative et amplius*. Talis enim missarum reductio fieri solet et concedi solum quando agitur de missarum onere per legatum, non autem per contractum suscepto.

(22. Contrariam tamen sententiam amplexa fuit eadem sac. Concil. cong. die 8 Julii 1724 in *una Ordinis B. Mariæ de Mercede*, ubi præcise respondit: « in reductione ab indulto permessa comprehendi etiam onera per contractum acceptata; » eandemque declarationem edidit die 19 Augusti ejusdem anni 1713 quo ad Patres cong. reformatæ S. Bernardi, ut refertur in *Thesaur. resolutionum sac. congregat. Concil.* tom. VI, in *Romana reductionis oneris missarum*, 18 Apr. 1733, quamvis ibidem aliæ afferantur contrariæ resolutiones. « Itaque, ut ibi dicitur, non satis certum est quid sac. congregat. senserit circa interpretationem indulti perse considerati, » adeoque in dubiis pro hujusmodi interpretatione ad ipsam est recurrendum; quæ, juxta diversas casuum circumstantias, diversas solet edere resolutiones, ut videri potest in d. *Thesaur. resolutionum sacre congregationis Concilii*, et signanter in *Resolutionibus* anni 1733 et 1739.

(23. An et quando admittatur vel denegetur compensatio missarum, quæ ultra debitum numerum celebratæ sunt, cum missis deinceps celebrandis? Advertendum est quod in *Romana suspensionis oneris, et reintegrations eleemosynæ missarum*, ad seq. dubia:

I. « An celebratio missæ quotidianæ pro anima quondam Ægidii Ursini de Vivariis intermittenda sit, quousque fructus locorum Montium pro hujusmodi celebratione assignatorum, per eorum continuum investimentum ascendant ad annua scuta sexaginta, in casu, etc.

II. « An pro missis hucusque celebratis, annua semper eleemosyna scutorum sexaginta fuerit debita in casu, etc. Et quatenus affirmative.

III. « An ex iisdem fructibus locorum Montium ante omnia sit detrahenda, et persolvenda tota illa pecuniarum summa, quæ pro reintegratione eleemosynæ missarum celebratarum ad istiusmodi annuam rationem sexaginta scutorum hactenus desideratur, in casu, etc. »

Sacra congregat. Concil. 21 Maii 1718 respondit, ad 1 *Affirmative*; ad 2 et 3: *Dilata*.

Iterum proposita eadem causa pro resolutione duorum postremorum dubiorum, ea-

dem sacra congr. 3 Decembris 1718 respondit: « Dilata. » Denuo repropoſita die 9 Maii 1719, respondit: « Iterum proponatur, » prout etiam respondit die 26 Augusti 1719. Ac iterum proposita die 11 Januarii 1721, non fuit resoluta; nec etiam resoluta die 6 et 20 Decembr. 1721. Et tandem repropoſita die 17 Jan. 1722, eadem sacra congregat. respondit « Ad mentem, quod committatur negotium eminentiss. præfecto. » Unde vide t. I *Theſ. resol. S. congr. Concil.*, p. 133 et 194; t. II p. 110, 112, 119, prout præstant Venetiis apud Joannem Baptistam Recurti, ubi Summus Pontifex Benedictus XIV, tunc ejusdem sacrae congregat. secretarius, erudito suo more adducit pro similibus causis decreta hinc inde merito ibi observanda; et tom. II, pag. 7 et seq., ubi adducit factum hujus causæ, et desuper scripta a D. fiscale visitationis Apostolicæ, et a D. advocato Corazza.

(24. Quamvis census creati ad formam bullæ S. Pii V connumerentur inter bona stabilia, seu veniant appellatione bonorum immobilium, Clement. *Exivi*, § *Cumque annui redditus*, *De verbor. signif.*; Rota, *Recent. decis.*, part. IV, tom. I, dec. 163, n. 4, part. XIII, decis. 413, n. 62, et coram Emerix jun. decis. 1147, n. 3, in *Romana Castri Turris* 22 Martii 1706, § fin. coram Molines, et in *Bononien. census coram Foscaro*, 29 Januarii 1723, relata, et secuta a Pitonio, part. III, discept. 102, n. 50; card. de Luca, *De censibus*, discurs. 17, n. 2 et seq., cum aliis ibi citatis; Merlin., *De pignorib.*, lib. II, t. I, quæst. 44, n. 36; Cyriac., cont. 219, n. 10; Panimol., decis. 13, adnotat. 2, n. 40; Monacell., tom. II, tit. 14, formul. 5, n. 4, et plurimi alii a Rota, et a supradictis, l. c., allegati. Et in specie quod sub legato stabilium veniant census, Gabriel, consil. 141, n. 28, cum seq., lib. II, Surdus, dec. 207, n. 34; Buratt., dec. 574, n. 2, de Marin. res. 11, lib. I, n. 4; Censius, quæst. 30, n. 8; card. de Luca loc. cit., n. 4, et alii plures, unde propterea receptum est, super censibus tanquam bonis stabilibus fructiferis ad formam bullæ S. Pii V, imponi posse census, ex deductis per Cencium quæst. 31, n. 1 et seq.; Leo-tardum, *De usuris*, quæst. 36, n. 13; Buratt., dec. 912, n. 1 et 2, et Rotam, part. VII, *Recent. decis.*, dec. 235, ubi respondetur contrariis. Sic expresse card. de Luca, l. c., n. 3.

Attamen quando agitur de pecunia retrahenda ex re alienanda, cum mandato ut investiat in stabilibus, sacra congregat. non approbat investmentum in censibus pro celebratione missarum. Unde in *Fundana* 28 Februarii 1654, tom. XIX, pag. 319, censuit: « Census non reputari bona stabilia ad effectum investiendi pro celebratione missarum, nisi in aliquo casu speciali; » ut si stabilia post adhibitas debitas diligencias non reperiantur, ut fuit permissum post pestem in civitate Neapolis; in *Neapolitana* 13 Augusti 1638. Et ad dubium generale: « An sit permittendum investmentum in

censibus? » Sacra Congreg. censuit. « Recurrendum esse ad sacra congreg. in casibus particularibus, ut in cit. *Fundana*, et in *Signina* 2 Decemb. 1645. » Et tunc conceditur cum cautelis, quod sint census tuti, et aliquoties cum fidejussore, et aliis cautelis, sacra congregat. Concil. in *Tarentina* 8 Augusti 1671. Et in permutatione domus cum censu, cum pacto regressus, ac promissione perpetua exigibilitatis, in *Tarentina* 8 Augusti 1693 et 12 Maii 1707. Sic expresse emin. card. Petra tom. V *Comment. ad constit.* 3 *Pauli II*, sect. 5, n. 18. Et ead. sacra congreg. Concil. in *Burgi S. Domini* 30 April. 1729 ad dub.: « An pro dote beneficiorum, vel capellaniarum cum perpetuo onere missarum erigendarum, sint assignandi fructus terrarum fructiferarum, vel potius annui census? » et ad alia dubia, inter quæ: « An, et cujus expensis, si hæredis scilicet, vel legatarii faciendæ sit erectio beneficiorum? » Respondit: « Assignanda esse tot bona stabilia hæreditaria, quæ æstimata juxta morem regionis, quotannis redderent in fructu annua scuta 70 monetæ Romanæ, tam pro eleemosyna missarum, quam pro expensis necessariis pro illarum celebratione, et erectionem esse faciendam expensis hæreditatis. » Sic apud tom. IV, fol. 282 et 286 *Theſauri resolutionum sacrae congregat. Concil.*

(25. Scienda venit constitut. Benedict. XIII incip. *Exponi Nobis*, edita particulariter 14 Januar. 1727 in qua conceditur fratribus Carmelitæ antiquæ observantiæ provinciæ Portugalliæ facultas, ut certis oneribus missarum, quas celebrare non poterant, satisfacere valeant una missa solemnè singulis mensibus in quibuslibet eorum cœnobiis, dummodo hoc non transeat in exemplum.

(26. Advertendum est quod eleemosyna pro missis perpetuis taxanda est ad rationem sexaginta scutorum Romanorum pro qualibet perpetua quotidiana, prout ad eam rationem reducendas esse jam concesserat superioribus regularibus pro suis respective religionibus Innocentius XIII cum expresse mandato, ut in futurum onera missarum perpetua, nisi ad supradictam rationem, non permitterent acceptari; et denuo concessit monachis Casinatibus Benedictus XIII, die 15 Julii 1724, ac etiam omnibus episcopis, qui adstiterunt suo concilio Romano celebrato ann. 1725, ut patet in ipso tit. 15, c. 8, et refert etiam cardin. Lambertin., postea Bened. XIV, vol. I, notif. 56, n. 20, ubi insuper refert quod propositum in sacra congregat. Concilii dubio: « An, et in qua quantitate eleemosyna manualis augenda esset in Urbe? » Eadem sacra congregatio die 13 April. 1726 respondit: « Nihil esse innovandum; et ad mentem: ac mens est, ut agatur cum eminentiss. vicario super observantia decretorum pertinentium ad utensilia, et ad non transmiss. missarum extra Urbem. » *Ib.*, n. 23. (27. Et eleemosynam pro unaquaque missa manuali, non posse tradi minorem uno julio, jam fuit

expresse statutum de mandato Clementis XI, et id posse statui ab episcopis sæpius resolvit sac. cong. Conc., ut videre est verb. *ELEEMOSYNA*, n. 65.

(28. Quo vero ad reductionem onerum missarum, præter jam dicta, attendenda sunt etiam sequentia, ac primo notandum venit decretum sacrae congregat. Concilii in *Senogallien.*

Sacra congregat. Concil. die 13 Julii 1626, in *Senogallien.*, censuit: « Secundum ea quæ proponuntur, confratres societatis Confalonis sanctæ Virginis Mariæ nuncupatæ *dell'Incancellata*, terræ Corinaldi Senogallien. diocesis, onus missarum præteritarum supplere debere per alios capellanos. De cætero vero non suscipienda esse onera nova missarum, nisi sacrista, vel alius minister, missarum numero describendo, atque eleemosynis accipiendis pro tempore præficiendus, admonuerit singulos qui eleemosynas offerunt, de tam magno missarum numero celebrandarum, illorumque intentioni satisfieri non posse ipsa missarum celebratione, ac sacrificii applicatione, sed tamen eos participes fore missarum quæ singulis diebus in dicta ecclesia pro benefactoribus celebrantur. Id vero, ut commodius præstare valeant, loco quo ponuntur eleemosynæ palam affigatur tabella, in qua eademmet declaratio distincte et clare descripta sit, adeo ut sacrista, vel minister, ut supra, accipiens oblationes, præmittat declarationem, vel tabellam indicet offerentibus; quibus cautionibus adhibitis, accipi tuto posse quascunque eleemosynas. » Sic in libro XIII *Deer.*, pag. 22 et 23, cui consonat aliud decretum in *Lancianen.* 14 Novembris ejusd. anni 1626, lib. XIII *Deer.*, pag. 142 a terg. et seq. Ita refert Benedictus XIV, *De synodo diocesana*, lib. XIII, cap. ultim., n. 12, impressionis Romæ, anni 1755. (29. Ubi subdit, quoad id quod frequentius in praxi accidit, monendi nimirum pios offerentes per tabellam publice expositam, missas, quæ celebrari nequiverunt in ecclesia, vel ad altare, ubi eas offerri oportuisset, ut eorum menti ac peculiari devotioni satisfieret, vel tractu temporis celebratum iri, cum primum id fieri licebit, vel ad aliam ecclesiam delegatum iri, inibi celebrandas, exstat hac de re ejusdem congregat. decretum, ut sequitur. « Sacra, etc., censuit missas, pro quibus usque ad hanc diem receptæ fuerunt eleemosynæ, esse quantocius in eadem ecclesia, juxta oblatores intentionem, celebrandas; in posterum vero novas eleemosynas nullatenus recipi debere, nisi prævia expressa, et clara monitione, per sacristam, seu per alium ipsis eleemosynis recipiendis præpositum, facienda offerentibus, non posse tam magnum numerum missarum in eadem ecclesia, seu altari confestim celebrari, sed quod vel tractu temporis ibidem, cum commode fieri poterit, vel in alia ecclesia celebrabuntur. Id vero, ut facilius innotescat, loco ubi eleemosynæ pro missis offeruntur, affigendam esse tabellam, in qua prænarata admonitio dilucide descripta sit,

adeo ut sacrista, vel præfatus præpositus eleemosynis colligendis, aut offerentes ut supra expresse admoneat, vel tabellam indicet. Quod si nihilominus Christifideles eleemosynas elargiri voluerint, posse eas recipi, et missarum celebrationi ad formam antedictæ monitionis, et diligenter, et quamprimum fieri possit, satisfaciendum. » Die 8 Mart. 1569, lib. XXI *Deer.*, pag. 530, a terg. et sequent.

(30. Et *ibidem*, n. 13, subjungit: « Innotuntur hujusmodi resolutiones, seu decreta, Urbani VIII decretis, in quibus hæc leguntur: « Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum missarum celebratione, id sciat, et consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem missis, juxta benefactoris consensum celebrandis. » Ac insuper, *ibid.*, n. 14, superaddit ut sequitur: « Neque silentio prætereundum est quod cum singuli sacerdotes Societatis Jesu singulis hebdomadis unam missam celebrare teneantur juxta intentionem præpositi generalis, cui peculiaris reservata est facultas applicandi hujusmodi missas, in ejusdem Societatis congregatione generali XII habita anno 1682, editum fuit sequens decretum, numero octavum: « Postulatam ab ipso (scilicet cetero præposito generali) item fuit, ut congregatio definiret, sitne Societatis menti consentaneum, missas, quas singulis hebdomadis jubentur ad intentionem generalis celebrare, posse ita ab eo applicari, ut per illas satisfiat obligationi quam alii quicumque susceperint, aut susceperunt sint, recipiendo eleemosynas pro missis celebrandis? Unanimi consensu responsum est id non censendum deinceps Societati nostræ consentaneum, nec debere ulla ratione præpositum generalem sacra, quæ a nobis celebrantur, ita applicare, ut quicumque tandem illi sint, quidquam inde sibi, aut aliis, lucentur, seque, aut alios, ab onere, quod accepto stipendio, aut eleemosyna, nunc, aut alias, vel ipsi, vel alii contraxerint, liberos præsent. » (31. Deinde sic ipse prosequitur: « Congruit hoc decretum communi regulæ, quæ jubet ut qui eleemosynam recepit celebret, applicetque missam pro offerente; ac semper, quoad fieri potest, interclusum sit iter iis qui omnia meditantur, ut et justissimæ huic legi, et piorum offerentium voluntati fraudem faciant. Cum autem collegium quoddam memoratæ societatis, quod scriptum fuerat hæres, adjecto onere habendi aliquos capellanos amovibiles, qui pro testatoris anima singulis hebdomadis certum missarum numerum offerrent per anni spatium, ex pura oblivione ab impositi oneris implemento cessasset, quaesitum fuit an id, quod intermissum fuerat, suppleri posset per applicationem a præposito generali faciendam earum missarum, quas supra diximus, ab eo applicari posse; sed cardinalis de Lugo dub. 30,

lib. iv suorum *Respons. moral.* respondit, ac firmissimis rationibus defendit id minime licere. »

(32. Missarum onera a fundatore beneficii præscripta non licet episcopo diminuere, quoties fructus relictis decrementum subierint; non enim posse ab episcopo reduci missas semper tenuit sac. congreg. Conc. Facultas vero ad hoc data in concilio Tridentino sess. xxv, *De reform.*, cap. 4, ut episcopi possent missas in testamento, vel dispositione inter vivos adsignatas reducere in synodo diocesana, et generales ordinum in suis capitulis generalibus, intelligitur tantummodo de oneribus missarum impositis ante concilium Tridentinum, et de reductione facienda in diocesana synodo, vel capitulo proxime post expletum concilium Tridentinum habendis, ut exposuit S. congregatio. Idem Pontifex in cit. tract. *De synod. dioc.*, loc. cit., n. 18.

(33. Modo insuper non licet episcopis, etc., præstare in suis synodis, etc.; quia id vetuit Urbanus VIII et Innocentius XII in sua constitutione, de qua *ibidem*, ex vi quorum neque licet episcopo reducere eadem onera antequam acceptentur ab iis ad quos pertinet; uti definitum est a S. congregat. *Ibid.*, n. 19.

(34. Cum datur episcopis facultas reducendi *pia legata*, et *missarum onera*, adhuc tamen ex contextu totius dispensationis constat nihil illis concessum esse quoad reliqua legata, sed tantum quoad onera missarum. *Ibid.*, n. 22.

(35. Si aliqua dispositio missarum onera, et alia pia opera comprehendat, et ob tenuitatem reddituum reductio aliqua facienda sit; reducenda esse prius reliqua opera quam numerum missarum censuit sac. congregatio. *Ibid.*, n. 23. (36. Quamquam hæc vera sunt, nisi ex toto contextu dispositionis alia fuisse mens fundatoris deprehenderetur. *Ibid.* (37. At si episcoporum auctoritas quoad hanc reductionem profluxit ex ampliatione indulti concilii Romani sub Benedicto XIII vel ex instructione quadam tradita a sacra congregatione, et res fuerit, ut vel numerus missarum, vel alia opera pia sint imminuenda, tunc præstat recurrere ad sacram congregationem Concilii. *Ibid.*, n. 24.

(38. Insuper ex vi concessionis prædictæ non possunt redigi missæ, quarum celebrationi Ecclesia, etc., per contractum sese obstrinxit, hoc enim cavetur expressis verbis in præmemorata constitutione. *Ibid.*, n. 25.

(39. Porro pro regula reducendi missas laudatus Pontifex, loc. cit., n. 32, tradit sequentia; juxta theoreticam Felini in cap. *Super litteris*, De rescriptis, quam optime illustratam videre est ab olim congregationis secretario de Vecchis in suo voto impresso apud Crispin., in *Visitatione pastorali*, part. II, § 18, n. 6; et a qua nihil deflectere debet episcopus, quoniam in ipsa illius instructione, per congregationem transmitti solita, cum alicui facultas conceditur reducendi

missarum onera, eadem pro regula præscribitur: ut ex sequentibus verbis apparet:

« Quomodo autem se gerere debeat in executione quoad legata taxative, vel demonstrative concepta, Sanctitas Sua amplitudini tuæ notificandum jussit, quod, mature pensatis, ac perlectis dispositionibus, et foundationibus quibuscunque, quibus præfata missarum onera annexa reperiuntur (exceptis instrumentis, seu contractibus, super quibus manus apponere non debeat, nisi in casu judicialis instantiæ pro illorum remissione, titulo læsionis) illa legata, seu foundationes, erunt taxative concepta, si fundatores legando, aut aliquo modo disponendo, orationem, seu dispositionem prius inchoaverint ab assignatione fundi, et subinde missarum onus adjecerint, et hoc casu hujusmodi onera, ad rationem eleemosynæ manualis, ut supra, moderari possit; secus vero si fundatores orationem, seu dispositionem incoeperint ab impositione oneris, et subinde fundum assignaverint; tunc enim onus dicitur demonstrative conceptum, ac fundatorum hæredes per Amplitudinem tuam cogendi sunt ad perpetuam dicti oneris maintenancem, et ad supplendam summam deficientem tam pro præterito quam pro futuro tempore. »

(40. Prosequitur ultra laudatus Pontifex, *ibid.*, sub n. 33, sic: « Si autem pius testator jubeat suum hæredem dare legatario, non fundi redditus, sed fundum ipsum, ut ex fructibus inde obvenientibus missarum celebrandarum stipendia desumat, ad nihil ultra cogitur hæres, quam ad ipsum fundum seu bona legata extrahenda; nec potest ulla ratione urgeri, ut suppleat, quod succedentibus temporibus ad integrum, absolutumque missarum oneris implementum deesse contingat, » veluti fusius demonstrat Pasqualig. *De sacrificio novæ legis*, quæst. 1026, n. 3, confirmatque Rota decis. 433, per totam, *coram Cerro*. Hæres quippe id tantummodo præstare debet, quod ei demandatum est a testatore. Quod si progrediente tempore traditi fundi redditus imminuantur, ad legatarium pertinet, omisso hærede, ad legitimum superiorem instare pro oneris reductione; ad eamque obtinendam, docere tum de obveniente sibi damno, tum de reddituum imminutione, cui ipse propria culpa causam non dederit, tum denique ostendere, integrum sibi non esse urgere hæredem, ut præstet id quod deesse compertum est, ad hoc ut piæ testatoris voluntati cumulate satisfiat. Legimus, et sedulo quidem, vota præsulis Altoviti, qui per plures annos magna cum sui nominis laude munus secretarii congregationis Concilii sustinuit, et ejus sententiæ ac judicio ipsa quoque congregatio in variis causis discutiendis ac definiendis plurimum detulit; ibique agnovimus superius allatam distinctionem pro norma propositam, et solide assertam. Ita in quodam illius voto elucubrato in causa *Firmana reductionis missarum* proposita die 26 Augusti 1636

hæc habentur: « Ubi legetur species, per hæredem consignanda legatario, si ista pereat, vel diminuatur, postquam fuit consignata peremptio, et diminutio hujusmodi cedit damno legatarii, neque hæres ad aliud quidpiam tenetur; si vero pereat, vel diminuatur penes hæredem, antequam legatario tradatur, peremptio et diminutio cedit damno hæredis, qui proinde tenetur supplere. » Atque alio in voto exarato in causa *Brixien.*, proposita 1 Decembr. 1685, postquam pro regula posuerat in dubio existimandum esse, fundum demonstrative, non autem taxative designatum fuisse, ita pergit: « Attamen hæc regula procedit, vel quando fuit legata quantitas, vel quando fuit legata res in genere, vel quando fuit legata res in specie, quæ remanet penes hæredem habentem onus curandi celebrationem: vel quando res legata fuit ab hærede consignata legatario, non quidem ex præcepto testatoris, sed ex propria voluntate, et ad effectum tantummodo se eximendi a præfato onere curandi celebrationem. At secus est, quando testator gravavit hæredem ad tradendam legatario rem legatam, et eidem legatario injunxit onus curandi celebrationem: hoc enim casu hæres, consignata legatario re legata, liberatur; et eventiente casu, quo illius annuus redditus evadat impar oneri missarum, non tenetur supplere. » Consulto autem superius diximus immunem hæredem fieri ab onere præstandi supplementi, si morem gesserit testatori, qui jusserit designatum fundum tradi legatario: nam si testator mandasset ut legatario tot præstarentur fructus, quot satis essent ad injunctam missarum celebrationem, quantumvis hæres bona stabilia redditus satis idonei semel tradidisset, attamen supplementi onus declinare non posset, si forte subinde contingeret, ut ob subsecutam fructuum imminutionem, vel ob augmentum taxæ, traditi fundi redditus imposito oneri sustinendo impares evaderent: ut subdit idem præsul Altovitus in voto quod ipse conscripsit: et congregatio probavit in quadam causa *Lucana reductionis missarum* proposita 15 Decembris 1685. « Quando enim testator mandat ab hærede suo consignari tot bona, quorum redditus sufficiant pro celebrando certo numero missarum, tunc dicitur legata species, quæ stat in obligatione taxative, cui satisfit per consignationem. Quando vero mandat consignari tot fructus, qui sufficient pro dicta celebratione, tunc dicitur legatum genus, et fructus sufficientes sunt in obligatione demonstrative. Unde licet hæres assignet tot bona, quorum redditus de tempore assignationis sufficiant, attamen illis pereuntibus, vel ad minorem quantitatem redactis, tenetur hæres supplere ex redditu aliorum bonorum. »

(41. Deinde, *ib.*, sub n. 34, idem Pontifex disserens de taxatione missarum eleemosynæ in qualibet recte ordinata diocesi constituta, vel constituenda tum pro missis perpetuis, tum pro missis manualibus, ita subjungit: « Si autem pro eleemo-

syna missæ cantatæ nulla exstat synodali taxatio, aderit tamen, vel certe adesse debet in unaquaque diocesi recepta quædam consuetudo, ad cujus normam eleemosynæ quantitas determinetur. Qui perpetuas missas reducunt vigore facultatum sibi indultarum per viam ampliationis concilii Romani, missarum reductionem ita componunt, ut pro quotidiana missa perpetua annuam statuunt eleemosynam sexaginta scutorum monetæ Romanæ. « Unamquamque missam perpetuam moderari valeat, et reducere ad rationem scutorum sexaginta monetæ Romanæ, pro qualibet. » Cum autem inter missas reducendas reperitæ sunt missæ cum cantu celebrandæ, congregatio Concilii in causa *Romana* 3 Februarii 1725, ita provide rescripsit, uti videre est lib. *Lxxv Decretorum*, pag. 75, a tergo et sequent.

« Sacra congregatio, etc., censuit quoad missas cantatas, quæ habent redditus sufficientes ad rationem eleemosynæ currentis pro missa cantata, juxta morem regionis, et cujuscunque diocesis, in qua siti sunt conventus, esse omnino celebrandas, juxta præscripta in legatis, seu foundationibus: quo vero ad alias missas cantatas, quæ non habent redditus sufficientes, ut supra, juxta morem cujuscunque diocesis, faciendam esse illarum reductionem in unoquoque conventu ad eum numerum, qui celebrari poterit, habita ratione reddituum cuiuslibet legato, seu foundationi assignatorum, et supra dictæ eleemosynæ de præsentis vigentis in unaquaque diocesi pro missis cantatis: factaque modo præmissa reductione, quidquid ex redditibus cuicunque legato, seu foundationi assignatis supererit, erogandum esse in celebrationem tot missarum lectarum, et tam missas cantatas reductas, quam lectas, esse collective applicandas pro animabus, et juxta intentionem eorum qui missas cantatas reliquerunt. » Verum quia nonnulla reperiuntur onera missarum cum cantu celebrandarum, quibus aliud adnexum est onus, ut aliquot præterea celebrentur missæ privatæ, seu lectæ; ideo, proposita quæstione, quænam adhibenda esset methodus in reductione peragenda, ubi eleemosyna pro missis cantatis addicta magnam relictorum fructuum partem absorberet, eadem congregatio die 4 Augusti memorati anni rescripsit: « Sacra congregatio censuit, quando aliquod legatum est complexivum missæ cantatæ, et missarum lectarum, tunc omnes legati redditus, si non sufficiant pro utroque onere adimplendo, erogandos esse in celebrationem tot missarum lectarum, deleto onere missæ cantatæ, » uti videre est lib. *Lxxv Decretorum*, pag. 431, a tergo. Insuper cum reductio fit in vim præmemorata concilii Romani ampliationis, magna quoque animadversione dignum occurrit aliud, quod in concessis facultatibus continetur: nimirum ut remitti seu condonari possint missæ retroacto tempore nec celebratæ, nec applicatæ, hæc tamen adjecta lege, ut infra octavam Commemorationis